

quam eius causalitatem, atque adeo variato agente in species, etiam specie actio variatur; sicuti variato agente numero, actio quoque numero variatur.

Ego respondeo negando consequentiam, & ad probationem illius dico, verum esse, quod numerica varietas actionum prouenit à varietate numerica agentis, quia actio cum sit modus, non potest esse hæc actio, nisi ab hoc agente sit.

38. Et si replicabunt dicendo, lucem & calorem esse potentias calefactiwas specie diuersas; ergo huiusmodi sunt etiam illorum actiones; ego quoque respondebo negando consequentiam, quia sicut non habent diuersos terminos specie, a quibus solent præcipue specificari potentiae; illa autem diuersitas prouenit ex diuersitate lucis & caloris, quæ cum non eliciant perfectiorem actionem una magis alia; & quia qualibet actio essentialiter dependet a suo agente, propterea variatur numero pro varietate agentis.

39. Ex quibus deduco aliam conclusionem, scilicet quod motus distinguitur numero pro varietate agentis, aut patientis, aut termini, numquam tamen pro diuersitate temporis; & id quod dicitur de actione extendi potest etiam ad passionem.

40. Probo primo quia, ut dixi cum de causis, potest idem effectus numero prouenire a duplice causa totali, non tamen eadem actio numero; ergo numerica diuersitas actionis, seu actionum a diuersitate numerica agentis, aut passi, aut termini, non autem temporis; quia eadem actionis entitas diuersis temporibus esse potest.

41. Probo secundo; quia id requiritur, & est sufficiens ad unitatem motus, quod requiritur ad eius constitutionem; atqui ad motus constitutionem sufficit tantum, aut unitas agentis, aut mobilis, vel solius termini, & nihil aliud; ergo &c. maior dispositio patet, quia motus non est unus per modum entis indubibilis, sed per modum entis successivi, & continui; ergo ea, quæ requiruntur ad eius constitutionem, ad eius unitatem necessaria sunt. minorem probo, & primo de agente, quia unum & idem agens unicam actionem producere potest absq; auxilio alterius, de alijs autem non remanet dubitandum; ergo, &c.

42. Conclusio 4. est pro me contra multos, quod solus modulus tendendi agentis, siue actionis in terminum, est ratio sufficiens pro specificatione actionis.

43. Probatur experientia, tam in actibus internis, quam in externis